

regia dignaremur. Itaque nos petitionibus eiusdem fauorabiliter inclinati, tam predicta consideratione, ea videlicet, ut idem magister Donch in curia nostra existat et resideat, ac nobis commodius valeat famulari, quam pro suis serviciis, quoniam debemus cuiuslibet fidelium nostrorum servicia attendere, et ipsis pro eisdem serviciis esse fauorabiles, et pariter generosi; predictum castrum nostrum Camarum vocatum, cum omnibus suis vtilitatibus et pertinentiis, villis scilicet, tributis, piscinis, sive piscaturis et aliis universis et singulis iuribus, rite et iuste ad ipsum castrum, salvo iure alieno, sub metis, terminis et limitationibus antiquis, spectantibus et pertinentibus, eidem magistro Donch, qui ipsum castrum Camarum sibi fore, vt predictur, magis vtile, quam castra predicta allegabat, et a nobis ei dari instantissime propter causas predictas postulabat, dedimus, tradidimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter, in filios filiorum eius et heredes possidendum, tenendum pariter et habendum; predicto tamen Comitatu Camariensi nobis et nostris heredibus sive successoribus reservato; e converso quidem magister Donch in permutationem dicti castri Camarum, supradicta castra Strigow et Chakturnya, cum omnibus pertinentiis eorundem, quibus erant sibi statuta, nobis et nostris heredibus ac successoribus reddit et restituit pleno iure; nihilque proprietatis sibi et suis heredibus in ipsis castris Strigow et Chaakturnya, eorumque iuribus et pertinentiis universis deinceps reservando. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam, presentes eidem concessimus litteras duplicis authentici sigilli nostri appensione communitas. Datum per manus venerabilis viri magistri Thatamerij, Albensis Ecclesie Prepositi, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri, quarto nonas Junii, anno Domini Millesimo tricesimo tricesimo quarto. Venerabilibus in Christo patribus et dominis Chanadino Strigoniensi, fratre Ladislao Colocensi, aule nostre Cancellario, Archiepiscopis. Nicolao Jauriensi, Ladislao Quineeclesiensi, Andrea Transilvano et alio Andrea Varadiensi, Ladislao Zagrabiensi, Nicolao Agriensi, Meskone Nitriensi, fratre Rudolfo Waciensi, fratre Paulo Albensi de Nandor, et Jacobo Chanadiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Westprimiensi autem, Syrmieni ac Bosnensi sedibus vacantibus. Magnificis Baronibus Wyllermo Drwgeth Palatino, Comite Zepsien et Wjwar, Demetrio magistro Thavernicorum nostrorum, Thoma Wajwoda Transilvano et Comite de Zonuk, Comite Paulo, Symonis filio, Iudice Curie nostre, Mykeh Bano tocius Slavonie, Johanne Bano de Machow, Paulo magistro Thavernicorum Domine Regine consortis nostre carissime, Dionisio Dapiferorum nostrorum magistris, ac Nicolao Comite Psoniensi, aliisque quam pluribus regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

Ex auth. transsumpto Vladislai II. anno 1504. in coll. Nic. Jankovich de Jesenicze. — Fejér. Codex Dipl. Regni Hung. T. VIII. v. III. p. 722.